OEAW-IMAFO-SBW manuscripta.at/?ID=19405 page 1/1
Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 11610

tatur, M. *Pauli* (Leubman) *de Mellico* Theol. et A. L. Doctoris, Decani et Canonici *Vien.* extincti a. 1479. praemisso Operis Elencho hunc exhibet Titulum: *Incipit dyalogus qui vocatur scrutinium scripturarum compositus per Reverendum p. dominum Paulum de sancta Maria magistrum in theologia episcopum Burgen. Archicancellarium Serenissimi principis domini Jo. regis castelle et legionis quem composuit post addiciones per eum compositas ad postillam nicolai* (de Lira) *Anno domini M° CCCC° XXXX4° etatis uero sue anno* LXXXI. Idem paene repetitur ad calcem Operis, de quo egi *Vol.* super. P. II. Atque hae Hederae etiam primis ejus Editionibus adpensae sunt.

Fol. 229. sequitur Conspectus omnium Capitum V. T. hoc rubro: *Incipiunt tituli in libro genesis.* Ad calcem minio: *Expliciunt sententie 2ᵗ libri Machabeorum, in hoc finitur vetus testamentum, et hoc registrum Biblie pro studentibus pauperibus valet.* Certe illo tempore, quo Ars imprimendi Librorum pretium nondum imminuerat. Quod non perpendunt, qui de neglectu sacrarum literarum illius aevi paratragoediant.

DCI.

R. 46 Codex chartaceus germ. Sec. XVIII. Folior. 35. 4. Scriptum polemicum est *Joh. Ernesti Pering Pragensis* aetatis anno 11. ab Judaismo ad Sacra Christ. Catholica transgressi nullo anni, quo illud concinnavit, indicio. *Capitibus* XVII. definitur, agitque primum de Praeceptis Decalogi, tum de praecipuis Fidei Christianae Articulis, ostendendo, quomodo illa a *Judaeis* parum cognoscantur, et observentur, hi vero contemtui et odio habeantur. Non pauca de illorum tanguntur Ritibus, congesta ex aliorum Πρεσβυτερων Scriptis, ut videtur, quid enim Puer undennis *Hebraeus* apud Suos discere aut soleat, aut possit, novimus. Multa praeterea, ad captandam fortasse Hospitum benevolentiam, exaggerata sunt. Accedunt Mantissae loco Excerpta e noto *Sam. Frid. Brentii* Libro, qui inscribitur: *Der jüdische abgestreifte Schlangenbalg*, et lucem vidit *Norimb.* 1614. impugnatus a *Sal. Zevi*, et defensus a *Joh. Wulfero.*

DCII.

Codex chartaceus hisp. Sec. XVII. Folior. 232. f. hunc jactat titulum: *Obras del Doctor Yshack Orobio de Castro Alias Don Balthasar Catedratico de Metaphisica y Medicina en las Vniuersidades de Alcala y Seuilla Medico de la Camara del Duque de Medinaceli y de la Familia de Borgoña del Rey Phelipe quarto, professor Publico del Rey de Francia, en la ynsigne Ciudad de tolosa y su consejero Mayor.* Non dubito eundem esse Codicem, qui voeniit a. 1715. *Hagae Comit.* cum Bibliotheca *Sarraziana*, ita omnia, quae de eo in ejus *Bibl. Catalogo p.* R. 34

21.

2026-01-17